



## P R Æ F A T I O.



eliquit tandem, favente Deo, Clarissimi Authoris Francisci Petri Opus posthumum non modicis impensis Excellentissimi ac Reverendissimi Fautoris sui, DD. Augustini, modo feliciter Regrantis S.R.I. Prælati Wettenhusani, prelum. Severior censura Pseudo-Critica moras posuit, eruditorum amicorum exspectatione oblongiores forte, voluntati vero tum meæ, tum Bibliopolæ nostri certo pertæfas. Hinc saniori consilio ductus meæ *Collectionis Scriptorum Tomum V.* pro eruenda magis & Rem & Authoris veritate versipellem feci, dum formas mutavi, acatholico substituen typographum Romano-Catholicum. Ete ecce! partus hic novus operis antiqui, utpote Posthumi, *Germaniae Canonico-Augustinianæ*, Günzburgi ad Danubium, non procul ab Ulma, extracteli tamen jaustum, siquidem protectus aquila, fuit editus. Verum, ne Tomus iste Collectionis meæ præcedentes mole sua excederet, divisi eundem in duas partes, quamlibet ab altera, & numero litterarum & frequentia foliorum diversam. Pars prior præsentat Fautoribus suis Germaniae Canonico-Augustinianæ Francisci Petri Partem IV. Pars altera continet Partem V. & ultimam memoratæ Gerinaniæ. Cæterum, quod doleo, illud est, quod impressum hoc non de singulis, etiam præstantissimis quibusdam, Canoniis singula referat, quæ ad hodiernum usque diem se extendunt, deficiente potissimum integro RRmorum DD. Præpositorum Catalogo. At, nec mea culpa hæc acciderunt, nec piis Authoris manibus impunitandum; siquidem uterque omne tentavit vadum, ex ignorantiae gurgite emergendi, ac demum perveniendi ad littus plenioris notitiæ, rerum præsertim notabiliorum. In testem innocentiae provoco litteras, quas dedimus, effictim petitrias: exhibebant publicum de sollicitudine nostra testimonium binæ

binæ Præfationes Tomi III. & IV. Collectionis meæ. Hinc ne-  
mo læsus videbitur, nisi a se ipso, quisquis demum conquera-  
tur de quodam defectu aut Collegii sui neglectu. Dolebunt no-  
biscum insuper alii, nobis potius faventes, qui ob inimicas  
temporum injurias non valuerunt plura de Canonis suis propa-  
lare. Inter quos certo numerandi sunt Wettenhufani, qui vo-  
lentes certiora communicare non potuerunt tum de anno Fun-  
dationis Collegii, tum de Catalogo primorum aliquorum Præ-  
positorum suorum, documentis antiquoribus destituti; de-  
plorant siquidem fatales dies illos, quibus circa annum Christi  
Domini Milleſimum trecentesimum vigesimum quartum sub  
Ludovico IV. Imperatore Bavarо, ac Leopoldo Austriaco Mar-  
chione Burgoviæ, occasione bimestris obsidionis ejusdem arcis  
& civitatis, Præpositura ipsorum effero hosti totaliter in præ-  
dam & direptionem inopinato cessit, imo quasi ultimam clade-  
m sustinens, aqua tribulationis undique immersa tantum  
non omnino deperiit, relictis solummodo Annalium fragmen-  
tis, hinc inde dispersis. Ultimato, quod moneam, illud re-  
stat, ac notatu dignum censeo, quod mutatis typographi for-  
mis, ad formandos pro parte duplii duplicates Indices Tomi  
hujus etiam alias a priori eruditus Vir, & quidem e gremio  
Authoris Operis Posthumi substitutus fuerit, qui dignissimo huic  
Operi manu sua ultimam (ut aiunt) limam addat, suo loco no-  
tandus. Cujus proin studio evenit, ut ejusdem operis suo mo-  
do sit idem principium & finis. Errata denique, in tam vasto  
volumine vix evitanda, benevolus Lector ipsius corriget, quem  
benevalere jubeo.



GER-